

Sed ille erat arctissimo religionis vinculo adstrictus Deo. Itaque non potuit non ferre injurias Simei usque ad mortem; infinita enim patientia et clementia est prærogativa soli Deo competens. In corrupta autem civitate etiam Principes sunt homines; et ut multos habemus Simei similes, ita paucos habemus Davidi pares. Optandum est, non vero semper sperandum, ut Principes Davidis exemplum imitarentur.

Sed religio non discitur in aulis, neque in scholis. Miremini forte, unde demum religio discatur, cum neque in aulis neque in scholis discitur. Hoc autem dictu eo difficilius est, quod ne illi quidem, qvorum pectora pietate imbuta sunt, declarare possint verbis, unde hanc divinam didicerint scientiam. Putant quidem nonnulli emendari posse hominis vitiosam naturam studiis, eruditionibus et disciplinis: sed falso; nam si doctissimus quisque eset religiosissimus, profecto omnes docti esent religiosi, et ipse Diabolus in omnibus artibus infernalibus eruditus, eset religiosus, quod absurdum. Itaque studia ornant, non emendant hominem.

Præterea virtutes singulares, quæ sunt quasi vera pietatis criteria, et sine quibus vera religio cogitari nequit, quatenus ex illis, quæ cernuntur oculis ad fontem, unde omnis vera virtus et pietas emanare debet, conclusionem facere liceret, non in urbibus sed ruri habitantes inveniemus, apud homines agrestes, in desertis sylvarum degentes, ab omnibus scholis remotos, eruditionis urbanitatisque expertes. His virtutibus nominatim numerari possunt abstinentia voluptatum omnium legi divinae repugnantium, lascivæ,

vini, scortorum, ludorum, luxus, comissionum; item temperantia vel affectuum libidinosorum refrenatio; odii, iræ, ultiæ abalienatio; injuriarum toleratio; humanitatis studia, modestia, hospitalitas, munificentia, remuneratio, liberalitas, in primis vero salutis æternæ desiderium, verbi divini sedula meditatione; in rebus adversis patientia, in secundis moderatione, in mortis momento hilaritas, melioris vitae post mortem non modo desiderium et spes, verum persuasio; quæ omnia simul sumta christianum ornant, et quorum maxima pars non nisi a regenito praestari possunt.

E contrario in urbibus eximia vita sub urbanitatis specie latent. Pro abstinentia, lascivia, violencia, alea, obscenitas; pro temperantia, libidinosa licentia, jurgia, rixæ inter plebem; in societatibus nobilium luxus et avaritia, quorum honos in ambitione, munificentia in epulis et conviviis, delectatio summa in aleis et ludis consistere videtur. Hinc in rebus secundis superbia, in adversis desperatio, in morte nulla spes. Multis, desperatis rebus, bonisque publicatis, extrellum suffugium restis. Atque haec in ipsis urbibus, in suburbanis regionibus, omnis doctrinæ et eruditionis apparatu abundantibus conspicuntur. Non ne igitur, comparatione facta morum urbanorum et agrestium, conclusionem facere liceat, quod ad educationem nostram, quæ in multis rebus perversa et naturæ contraria esse videtur. Nam si homines agrestes, omnibus institutionibus et disciplinis destituti, plus valeant virtute et simplicitate morum, quam illi, qui omnibus artibus urbanis disciplinisque scholarum